

ANIMADVERSIONES CRITICAE

IN VERSIONEM

SYRIACAM PESCHITTHONIANAM

LIBRORUM KOHELETH ET RUTH.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD THEOLOGIAE LICENTIATI HONORES RITE

IMPETRANDOS

AUCTORITATE

SUMME VENERABILIS THEOLOGORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE MARBURGENSI

SCRIPSIT

GEORGIUS JANICHS,

SILESIUS,

THEOLOGIAE CANDIDATUS ET PHILOSOPHIAE DOCTOR.

LIPSIAE,

TYPIS B. G. TEUBNERI.

1869.

Virorum doctorum sententias de versionis illius syriacae, quae Peschittho dicitur, indole ac origine valde inter se discrepare, notum est. Jam enim illa praecipue movetur quaestio, utrum versio Peschitthoniana in vertendis libris Vet. Testamenti in se sola posita et suo solo usa sit judicio, an aliorum quoque veterum interpretum, qui Vetus Testamentum in patrium suum transtulerunt sermonem, ducta sit auctoritate. Aut, ut paucis dicam, quaenam intercedit ratio inter versionem Peschitthonianam et inter reliquas Vet. Testamenti versiones, versionem chaldaicam, Targumim vocatam, versionem *τῶν* LXX., caeteras versiones graecas Aquilae, Theodotionis, Symmachi? — Qua quaestione diligenter tractata porro apparebit, utrum versio syriaca Simplex Vet. Testamenti ab uno ducat interprete originem, an varii ejus libri a variis interpretibus et variis temporibus sint confecti.

In transitu tantum atque leviter haec res attacta est in libris illis, qui introductiones in Vet. Testamentum vocantur, nec non in commentariis scholiisque Vet. Testamenti; accuratius est agitata in monographiis quibusdam ad libros nonnullos Vet. Testamenti spectantibus, veluti in commentatione

L. Hirzel, De Pentateuchi versionis syriacae, quam Peschito vocant, indole commentatio critico-exegetica. Lips. 1825. — C. A. Credner, De prophetarum minorum versionis syriacae, quam Pesch. vocant, indole. Gotting. 1827. — Accuratissime vero ac doctissime de origine ac indole versionis Pesch. Vet. Testamenti, praesertim Pentateuchi, nuper disseruit J. Perles (Meletemata Peschitthoniana, Vratisl. 1859.) — Qua in dissertatione auctor explicat, Vet. Testamenti versionis Peschitthonianae originem in saeculi post Chr. natum secundi finem conferendam esse, versionemque esse originis judaicae, neque dubium esse, quin Peschittho versio ab interpretibus pluribus confecta doctrinam iudaicam secuta, judaicarum quae in Palaestina circumlatae essent, versionum veteriorum servaverit vestigia (Melett. p. 8). — Originem judaicam versionis syriacae Simplicis ex interna ejus indole satis demonstrari aliterque locos ejus difficillimos omnino non explicari posse (Melett. p. 16). — Pentateuchi versionem vetustissimam esse, deinde reliquos Vet. Testamenti libros esse translatos, id quod ex eo appareat, quod illa auctoribus versionis caeterorum librorum nota fuerit atque ab his transscripta sit (Melett. p. 15. 48).

Jam in animo est, has disquisitiones persequi, ut et nos aliquid ad illustrandam historiam originis versionis Peschittho. Vet. Testamenti conferamus. Studebimus igitur, ut — quatenus hoc duorum tantum librorum exemplo fieri potest — in duobus Vet.

Testamenti libris Koheleth et Ruth, modum interpretandi ac totam versionis Peschitthonianae indolem perspiciamus et demonstremus. — Qua in re praesertim haec tria nobis erunt spectanda, primum num auctor versionis syriacae Simplicis in vertendo textu hebraico ab aliis interpretibus veteribus ductus sit, deinde quinam hi fuerint interpretes, denique utrum versio Peschitthoniana Vet. Testamenti tota ab uno eodemque interprete sit confecta, an varii ejus libri a variis sint versi interpretibus. — Prima illa atque altera quaestio soluta erit, versione Peschitthonia cum textu hebraico accurate collata omnibusque discrepantiis inter illam et hunc intercedentibus diligenter notatis harumque causis intellectis, tertia autem quaestio solvetur contentione accurataque comparatione versionum singulorum librorum, veluti nostrorum Koheleth, et Ruth. — Extremum illud est, ut cognoscamus, et cuinam religioni interpretes horum librorum addicti fuerint, et quo tempore hae versiones sint confectae.

Non est, quod addamus, plenam integramque de versionis Peschittho. sententiam ab eo tantum ferri posse, qui omnem versionem syriacam Simplicem, comparatam cum textu hebraico, perlustraverit. — Sed jam ad singula transeamus.

KOHELETH.

Cap. I, 8.: Syrus voces לא יוכל איש לדבר interpretans ܠܐ ܢܣܒܥ ܓܒܪܐ ܠܡܡܠܠܘ — „non satiatur homo eloqui“ secutus est sententiam parallelam nominum sequentium: לא־תשבע. Talis interpretatio Syro optimum praebuit sensum.

I, 10.: יש דבר שיאמר, Syrus licentius: ܟܠ ܕܡܠܠܢ ܘܐܡܪܢ — „omnia, quae locuti sumus et diximus“ —. Indulsit Syrus sermonis sui proprietati.

I, 14.: Formulam רעות רוח, quae septies tantum in toto Vet. Testamento, et quidem solo hoc libro legitur (I, 14. II, 11. 17. 26. IV, 4. 6. VI, 9.), Syrus semper vertit ܬܘܪܦܐ ܕܪܘܚܐ — „perturbatio spiritus“ —, LXX: *προαίρεσις πνεύματος*.

I, 17: Nomina ultima hemistichii primi הללות ושכלות LXX reddiderunt: *παραβολὰς καὶ ἐπιστήμην*, quasi legissent משלים ושכל. — Hos plane sequitur Syrus, vertens: ܡܬܠܐ ܘܣܘܟܠܬܢܘܬܐ — „parabolae et intelligentia.“

II, 2.: לשחוק אמרתי מהולל, Syrus: ܠܓܘܚܟܐ ܐܡܪܬ ܡܢܐ ܡܘܬܪܗ: „Risui dixi: quaenam utilitas“? — Pro מהולל Syrum legisse מָה הוֹעִיל apparet. LXX in voce הוֹלֵלָה de radice חוּל — inde מְחוֹלָה — cogitasse videntur, quum hoc loco *περιφορά*, II, 12. *παραφορά*, IX, 3. X, 13. *περιφέρεια* vertant.

II, 3.: Valde hujus versus interpretatio syriaca discreptat et a textu hebraico et a caeteris versionibus. — Dubium non est, quin hoc versu duae versiones syriacae formulae תרתי בלבי confluxerint: ܪܢܝܬ ܒܠܒܝ et ܘܗܦܟܬ ܐ̱ܢܐ. In prima versione verbum תור recte a Syro intellectum est sensu explorandi, in altera animo Syri voces תְּרֵין vel ܬܪܝܢ obversatae esse videntur, quum interpretetur ܗܦܟܬ i. e. reverti, id quod hoc loco idem valet ac adverbium: „secunda vice, iterum.“

II, 8.: שִׁדָּה וְשִׁדּוֹת, Syrus: ܡܫܩܝܢܐ ܘܡܫܩܝܢܬܐ, quibus nominibus idem prorsus est sensus ac vocibus *τῶν* LXX: *οἰνοχόον* — vel ut alia est lectio — *οἰνοχόους καὶ οἰνοχόας*.

II, 12.: שֶׁיָּבוֹא אַחֲרֵי הַמֶּלֶךְ, Syrus: ܕܢܣܩ ܒܬܪ ܡܠܟܐ ܒܡܠܟܐ — „qui ascendet post regem in consilium“ —, LXX *ὃς ἐπελεύσεται ὀπίσω τῆς βουλῆς. Τοὺς* LXX pro מֶלֶךְ legisse מְלַךְ (cfr. Dan. IV, 24), manifestum est. Syrus et מֶלֶךְ (ܡܠܟܐ) et illud *τῶν* LXX: *τῆς βουλῆς* (ܡܠܟܐ) est interpretatus. — Primam versus vocem פָּנִיתִי Syrus Graeco Alexandrino auctore, qui vertit — *ἐπέβλεψα* —, reddidit ܚܪܬ — „respexi, prospexi.“ — Vocem versus ultimam: עָשׂוּהוּ Syrus transtulit: ܡܢ ܕܥܒܕܗ — „qui eum fecit“. Vulgat.: „factor suus“. Legit igitur ille עֹשֵׂהוּ.

II, 16.: Verba ܡܛܠ ܕܣܟܠܐ ܡܢ ܝܬܝܪ ܡܡܠܠ ex versione *τῶν* LXX sunt desumpta ac transscripta: *διότι ὁ ἄφρων ἐκ περισσεύματος λαλεῖ.* In textu hebraico haec verba non leguntur.

II, 25.: יחוש, LXX: *πίεται* = ܢܫܬܐ; deinde: חוץ ממני, LXX: *πάρεξ αὐτοῦ*, Syrus et hic *τοὺς* LXX secutus est, interpretans: ܠܒܪ ܡܢܗ. Legit igitur Graecus ממנו.

III, 6: Primum hujus versus hemistichium repugnat apud Syrum ordini, alterum significationi vocum textus masoretici. — Neque tamen ex reliquis versionibus haec discrepantia declarari potest, ita ut conjiciendum sit, Syrum aut verba hebraica aliter ac reliquos interpretatum, aut aliam ac masoreticam secutum esse lectionem.

III, 15.: Syrus vocem את־נרדף ut *οἱ* LXX (*τὸν διωκόμενον*) vertit genere masculino ܠܪܕܘܦܐ additque, ut ipsius interpretatio perspicacior sit, vocem ܕܡܬܪܕܦ.

III, 18.: Verbum, quod voci לברם inest, Syrus derivat a radice ברה (ܒܪܐ), verbumque quod sequitur לראות vertit ܠܡܚܘܝܘ = *τοῦ δεῖξαι* Graeci Alexandrini.

III, 19.: Primam tertiamque hujus versus vocem (מקרה) Peschittho interpretata est, quasi מקרה esset participium verbi קרה.

V, 5.: אל־תאמר לפני המלאך, LXX: *μὴ εἴπῃς πρὸ προσώπου τοῦ θεοῦ*; plane eodem modo Syrus ac hi reddidit vocem המלאך: ܠܐ ܬܐܡܪ ܩܕܡ ܐܠܗܐ. Vocem ejusdem versus למה Syrus Graeco Alexandrino auctore, qui *ἵνα μή* habet, vertit ܕܠܡܐ — „ne forte.“ [a])

---

a) Pro ܝܘܪܬܢܐ (V, 8. polyglott. Londin.) legendum est ܝܘܬܪܢܐ.

V, 9.: Licentia quadam Syrus substantivum: תבואה verbo expressit, et quidem verbo ܢܩܢܝܗܝ i. e. possidebit eum sc. המון (ܡܡܘܢܐ).

V, 12.: Syrus cum *τοῖς* LXX vocem חולה sensu ac significatione nominis חֳלִי accipit, ita ut hi *ἀῤ-ῥωστία* legant, ille ܟܘܪܗܢܐ interpretetur. (Cf. quoque V, 14.)

V, 14.: Ultimas versus voces: שׁילֵךְ בידו Syrus et LXX verterunt, ac si pro ילך legissent הֹלֵךְ, ille ܢܐܙܠ, hi *πορευθῇ*. Aut eandem lectionem hebraicam secuti sunt, aut Syrus *τῶν* LXX auctoritate commotus kal tempus pro forma Hiphil posuit.

V, 16.: Vox וחליו a Syro bis est versa, primum ܐܒܠܐ = *ἐν πένθει τῶν* LXX, tum ܒܟܘܪܗܢܐ = *ἐν ἀῤῥωστίᾳ τῶν* LXX. Syrum et in hoc versu *τῶν* LXX auctoritati se subjecisse, certum est. Nam duplicis hujus versionis explicatio et haec esse potest, Graecum Alexandrinum pro יאכל legisse אֵבֶל et id circo interpretatum esse *ἐν πένθει*, cui interpretationi Syrus totus se applicavit (ܐܒܠܐ).

V, 17: Nomina Syri: ܚܙܝܬ ܐܢܐ ab ipso adjecta sunt, ut versus sententiam eminentiorem redderet.

VI, 6: Ordo verborum alterius hemistichii Syro idem est ac Graeco Alexandrino.

VII, 2.: והחי יתן אל-לבו, LXX: *καὶ ὁ ζῶν δώσει ἀγαθὸν εἰς καρδίαν αὐτοῦ*, Syrus: ܘܕܚܝ ܢܬܠ ܛܒܬܐ ܠܠܒܗ. Legit igitur Peschittho etiam illud *ἀγαθόν τῶν* LXX, quod in textu masoretico non inest.

VII, 7: Neque Syrus neque Graecus Alexandri-

nus vocem יהלל recte vertit. Hic eam cum radice חיל confundit, quum interpretur περιφέρει (cfr. adnotationem nostram ad II, 2.), ille hanc τῶν LXX interpretationem falsam ducens, primariam vero verbi significationem ignorans, legi parallelismi membrorum obsecutus, simpliciter vertit: ܡܘܒܕ = יאבד alterius hemistichii.

VII, 11: Primi hemistichii sensum Syrus non satis perspexisse videtur, eo quod transfert: ܛܒܐ ܗܝ ܚܟܡܬܐ ܡܢ ܡܐܢܝ̈ ܩܪܒܐ — „melior est sapientia quam instrumenta belli“. — Quum versimile non sit, Syrum pro נחלה legisse מִלְחָמָה, tantum restat, ut concludamus, Syrum haec verba transtulisse ex IV, 18.: טובה חכמה מי כלי קרב.

VII, 17: Verba אל־תרשע Syrus plenius uberiusque ejusmodi expressit: ܠܐ ܬܪܫܥ ܛܒ ܘܠܐ ܬܬܣܢܐ ܛܒ — „ne sis impius nimis, ne fias exosus nimis“. Voces ܘܠܐ ܬܬܣܢܐ ܛܒ, quae in textu hebraico non leguntur, a Syro propter meliorem sensus parallelismum additae sunt. Quum quae sequitur altera adhortatio: ואל־תהי סכל — „neve sis stultus“ — apodosin habeat, expressam forma interrogationis למה: „Cur sc. moriaris“? Syrus etiam primam adhortationem illa exstruxit apodosi. De למה vide ad V, 5.

VII, 21.: Vox quam οἱ LXX post אשר ידברו legunt ἀσεβεῖς, in textu hebr. frustra quaesita, apud Syrum quoque exstat: ܪ̈ܫܝܥܐ.

VII, 24.: רחוק מה־שהיה, LXX: μακρὰν ὑπὲρ ὃ ἦν. Syrus aeque ac hi: ܪܚܝܩ ܡܢ ܕܗܘܐ ܗܘ. Pro pro-

nomine indefinito מה uterque igitur legit particulam מִן sensu comparativo: רחוק מִשֶּׁהיה.

VIII, 1.: ועז פניו ישׁנא, LXX: *καὶ ἀναιδὴς προσώπῳ αὐτοῦ μισηθήσεται*, Syrus: ܘܡܪܝܚܢ ܐܦܘܗܝ ܢܣܬܢܐ — „cuius facies impudens est, exosus erit". — Uterque igitur non יְשֻׁנֶּא, sed יִשָּׂנֵא legit, quod derivandum est a radice שָׂנֵא. Et in Midrasch Koheleth hujus *τῶν* LXX et Syri lectionis indicia reperiuntur. — Nec tamen est, quod lectionem masoreticam rejiciamus, quum sensum commodum praebeat.

VIII, 2—3.: Et Syrus et Graecus Alexandrinus omittit in initio versus secundi pronomen personale אני, quasi additamentum supervacaneum, quod neuter explicare potuit. — Uterque versum alterum et tertium in unum contrahit, quae contractio haud repudianda est, quum eâ verborum sententia haudquaquam corrumpatur.

VIII, 4.: באשׁר, Syrus: ܐܝܟܢܐ = *καθώς* Graeci Alexandrini. Vocem sequentem דְּבַר Syrus adhibuit sensu participii pro דֹּבֵר, vertens ܡܡܠܠ.

VIII, 8.: Verba ואין משׁלחת במלחמה LXX reddunt: *καὶ οὐκ ἔστιν ἀποστολὴ ἐν ἡμέρᾳ πολέμου*, Syrus: ܘܠܝܬ ܦܠܚܘܬܐ ܒܝܘܡܐ ܕܩܪܒܐ. Vox Syri ܒܝܘܡܐ, quae in textu hebr. deest, desumpta est ex versione *τῶν* LXX, qui ex phrasi praecedenti ביום המות vocem ביום hoc loco iteraverunt.

IX, 1.: כי את־כל־זה נתתי אל־לבי ולבור את־כל־זה, LXX: *ὅτι σύμπαν τοῦτο ἔδωκα εἰς καρδίαν μου, καὶ*

καρδία μου σύμπαν εἶδε τοῦτο, Syrus: ܡܛܠ ܕܗ ܠܟܠܗܘܢ ܗܠܝܢ ܝܗܒܬ ܠܒܝ ܘܠܒܝ ܚܙܐ ܗ ܟܠ ܗܢܐ. Voces *τῶν* LXX a Syro ad verbum sunt translatae. Aut textum a textu masoretico diversum LXX interpretes secuti, aut aliter ac nos interpretati sunt. — Quodsi statuimus Graecum Alexandrinum textum a nostro diversum prae se habuisse, haud nimiae fuerit audaciae, ponere *τοὺς* LXX pro וְלָבוּר אֶת־כָּל־זֶה legisse וְלִבִּי רָאָה אֶת־כָּל־זֶה, quum vertant *καὶ καρδία μου σύμπαν εἶδε τοῦτο.* Littera enim וְ cum littera יִ, et littera ת cum littera ה facile commutantur: cfr. igitur לָבוּר אֶת cum לִבִּי רָאָה. — Accedit, quod versio Graeci vocum ולבי ראה את־כל־זה optime cohaeret cum prima versus phrasi: כי את־כל־זה נתתי אל־לבי.

IX, 2.: הכל כאשר לכלר — „omnia sicut omni“ sc. obtingunt. Primam hujus versus vocem הכל LXX interpretantur *ματαιότης*, legentes quippe pro הַכֹּל vocem הֶבֶל — *ματαιότης ἐν τοῖς πᾶσι*“. — Syrus et versionem *τῶν* LXX et textum hebraicum reddidit, sed ita ut illud *τῶν* LXX *ματαιότης* cum ultimis versus praecedentis vocibus הכל לפניהם conjungeret, interpretans: ܟܠ ܩܕܡܝܗܘܢ ܗܒܠܐ. Syrus enim timere videtur, ne *τοῖς* LXX injuriam inferat, eorum versione non expressa. Altera Syri versio verborum הכל כאשר לכל plane respondet textui masoretico. — In eodem versu Graecus Alexandrinus post vocem לטוב etiam insuper vocem לָרָשָׁע expressit: *κακός*; sequitur eum Syrus: ܒܝܫܐ. In textu masoretico haec vox non legitur. Sed opposita est a

Graeco Alexandrino vox לְרָשָׁע voci לַטּוֹב, quemadmodum in phrasi sequenti טָּהוֹר opponitur לַטָּמֵא.

IX, 3.: וְהוֹלֵלוֹת בִּלְבָבָם בְּחַיֵּיהֶם, LXX: *καὶ περιφέρεια ἐν καρδίᾳ αὐτῶν κτλ.* Aquila: *πλάνη*, Syrus: ܘܦܘܩܐ ܒܝܫܐ ܒܠܒܗܘܢ — „et error malus est in ipsorum corde“ — etc. — Consentit igitur Syrus in voce הוֹלֵלוֹת vertenda cum Aquila. — Verba versus extrema: וְאַחֲרָיו אֶל־הַמֵּתִים *οἱ* LXX bene ad verbum expresserunt: *καὶ ὀπίσω αὐτῶν πρὸς τοὺς νεκρούς* —, minus accurate Syrus: ܘܚܪܬܗܘܢ ܠܘܬ ܡܝܬܐ — „et finis eorum ad mortuos“ —. Hoc versu Syrus cum Symmacho facere videtur, qui interpretatur: *τὰ δὲ τελευταῖα* (ܚܪܬܐ) *κτλ.*

IX, 4.: כִּי־מִי אֲשֶׁר יְבֻחַר — „nam quis est, qui eligatur?“ —, LXX: *τίς ὃς κοινωνεῖ κτλ.* — Unde Syrus: ܟܠ ܕܢܫܬܘܬܦ — „quicunque consociabitur“. — Expressit igitur uterque lectionem Keri, quam masoretae ad marginem adnotavere: — יְחֻבַּר — litteris mediis transpositis pro lectione Kethib יבחר.

IX, 14.:[b]) Ultimam versus vocem גְּדֹלִים Syrus interpretatus non est.

X, 1.: Prius hemistichium *οἱ* LXX verterunt: *μυῖαι θανατοῦσαι σαπριοῦσι σκευασίαν ἐλαίου ἡδύσματος*; Syrus eorum interpretationem plane imitatur: ܐܝܟ ܕܒܒܐ ܕܡܝܬܝܢ ܡܣܪܚܝܢ ܠܡܐܢܐ ܕܡܫܚܐ ܒܣܝܡܐ — „quemadmodum muscae mortuae foetidum reddunt vas un-

b) Pro ܙܒܛܐ (IX, 12), quod est erratum typographicum polyglott. Londin. legendum est ܙܒܢܐ.

guenti odorati" —. Apud utrumque igitur verbum alterum יביע desideratur, uterque vocem רוקח pariter transtulit; tum vero Syrus *τῶν* LXX versionem non satis intellexit, quum horum vocem *σκευσίαν* sensu ac significatione vocis *σκεῦος* acciperet et ܡܐܢܐ interpretaretur, quamquam nomen *σκευασία* denotat apparatum vel compositionem. — Neque minus in posteriore versus hemistichio Syrus *τῶν* LXX versioni se applicuisse videtur. Interpretantur enim hi hoc hemistichium: *τίμιον ὀλίγον σοφίας ὑπὲρ δόξαν ἀφροσύνης μεγάλην.* Syrus hanc *τῶν* LXX vocem *μεγάλην*, quae in textu hebraico non est, etiam habet: ܣܘܓܐܐ ܠܣܟܠܘܬܐ.

X, 3.: ואמר לכל סכל הוא LXX: *καὶ ἃ λογιεῖται πάντα ἀφροσύνη ἐστίν*, Syrus: ܘܟܠ ܕܡܬܚܫܒ ܣܟܠܘܬܐ ܗܝ — „et omne quod cogitur stultitia haec". — Syrus, primario verborum hebraicorum sensu neglecto, *τῶν* LXX interpretationem anxie ferme expressit. Pro סָכָל *οἱ* LXX legerunt סֶכֶל = *ἀφροσύνη* = ܣܟܠܘܬܐ; Syrus vero ignorans, quae ·propria verbi *λογιεῖται* sit significatio, false eo utitur sensu passivo: ܡܬܚܫܒ.

X, 4.: כי מרפא יניח, LXX: *ὅτι ἴαμα καταπαύσει κτλ.* Syrus: ܡܛܠ ܕܐܣܝܘܬܐ ܡܫܠܐ — „quia sanatio sedat" etc. — Concordant igitur Graecus et Syrus in vertenda voce מרפא, quippe quae ab utroque a radice רפא, significatione sanandi, est ducta. — Plerique vero interpretes nomen מרפא pro מרפה stare probant, quod a radice רפה sensu re-

mittendi, relaxandi, derivandum est, ac remissionem denotat.

X, 6.: Pro notione abstracta הַסֶּכֶל LXX et Syrus notionem concretam הַסָּכָל posuere, illi vertentes *ἄφρων*, hic ܣܟܠܐ. Cfr. VII, 25., ubi Syrus vocem כֶּסֶל eodem modo interpretatur.

X, 9.: Syrus verbum יִסָּכֶן expressit verbo ܠܐܐ — „fatigatus“ —, ratione habita parallelismi membrorum, quum in hemistichio primo stet verbum יֵעָצֵב.

X, 10: אִם־קֵהָה הַבַּרְזֶל וְהוּא לֹא־פָנִים קִלְקַל — „si hebes facta est securis et ille non accuerit faciem (i. e. aciem) securis“, LXX: *ἐὰν ἐκπέσῃ τὸ σίδηρον, καὶ αὐτὸς πρόςωπον ἐτάραξε.* Omisit igitur Graecus Alexandrinus voculam לֹא, verbumque קִלְקַל vi commovendi motitandique usurpavit. Syrus huic *τῶν* LXX interpretationi partim se adjungit, partim eam rejicit. Negationem לֹא instar *τῶν* LXX omittit, et verbum קִלְקַל significatione, qua hi legit. Reliqua cum textu masoretico consentiunt. — Sed quae sequuntur verborum וַחֲיָלִים יְגַבֵּר interpretatio syriaca: ܘܩܛܝܠܐ ܡܣܓܐ — „et interfectos multiplicans est“ — valde abhorret et ab sensu textus masoretici et ab omnibus veteribus versionibus. Jam a toto versus sensu plane est aliena, neque apte cum sententiis praecedentibus cohaeret, tamque est singularis, ut ne conjici quidem possit, quomodo Syrus legerit, vel quamnam secutus sit lectionem. — Ultimas versus voces וְיִתְרוֹן הַכְשֵׁיר חָכְמָה Syrus convertit: ܘܝܘܬܪܢܐ ܠܡܟܫܪܐ ܚܟܡܬܐ — „et lucrum prosperis est

sapientia“. — Pro forma infinitiva הַכְשֵׁיר Syrus legit nomen adjectivum הַכָּשִׁיר, sine dubio, quia tale adjectivum hebraicum adesse putavit.

X, 12.: תְּבַלְּעֶנּוּ, LXX: *καταποντιοῦσιν αὐτόν*, Syrus huic simillime: ܡܒܠܥܢ ܠܗ.

X, 16.: אִי־לָךְ אֶרֶץ, LXX: *οὐαί σοι πόλις*, Syrus: ܘܝ ܠܟܝ ܡܕܝܢܬܐ — „vae tibi, urbs“ —; recte Symmachus: *οὐαί σοι γῆ*. — Vox ארץ Syro nomine ܐܪܥܐ erat vertenda.

X, 19.: Prius hemistichium Graecus Alexandrinus vertit: *εἰς γέλωτα ποιοῦσιν ἄρτον καὶ οἶνον καὶ ἔλαιον τοῦ εὐφρανθῆναι ζῶντας*, Syrus: ܠܓܘܚܟܐ ܥܒܝܕܝܢ ܠܚܡܐ ܘܚܡܪܐ ܘܡܫܚܐ ܕܢܚܕܘܢ ܠܚܝܐ — „ad hilaritatem facta sunt panis et vinum et oleum, ut exhilarent vivos“. — Uterque igitur habet vocem, quae in textu nostro hebraico non exstat: *ἔλαιον* = ܡܫܚܐ. Deinde uterque vocabulum חיים non nomine substantivo, sed adjectivo utitur *ζῶντας* = ܚܝܐ. — Syrus vero non: עֹשִׂים, sed עֲשׂוּיִם legit, dum *οἱ* LXX lectionem masoreticam sequuntur. — Quae sequitur altera versus pars et a Graeco Alexandrino et a Syro pari fere modo est expressa. — Ille vertit: *καὶ τοῦ ἀργυρίου ταπεινώσει καὶ ἐπακούσεται τὰ πάντα*, hic: ܘܟܣܦܐ ܡܡܟܟ ܘܡܛܥܐ ܠܗܘܢ ܠܟܠ — „et argentum humiliat et seducit hoc omnes“ sc. vivos. — Verbum igitur יענה ab utroque dupliciter est versum.

XI, 9.: וִיטִיבְךָ לִבְּךָ בִּימֵי בְחוּרוֹתֶיךָ, Syrus breviter: ܘܛܐܒ ܠܟ — „et bonum tibi sit“ — = versioni Symmachi: *καὶ ἐν ἀγαθῷ ἔστω*.

XI, 10.: Alterum hemistichium *οἱ* LXX verterunt: *ὅτι ἡ νεότης καὶ ἡ ἄνοια ματαιότης* — Syrus: ܡܛܠ ܕܛܠܝܘܬܐ ܘܠܐ ܝܕܥܬܐ ܗܒܠܐ — „nam adolescentia et ignorantia halitus sunt“. — Dubium non est, quin *οἱ* LXX nomen hebraicum שחרות duxerint a radice שָׁחַר potestate nigrendi, eo quod juventutis mens quasi tenebris obvoluta sit. Idcirco שחרות reddiderunt voce *ἄνοια.* Unam *τῶν* LXX interpretationem Syrus prorsus suam facit, vertens eorum voculam *ἄ-νοια* voce ܝܕܥܬܐ — ܠܐ. — Attamen ii probandi sunt, qui שחרות proprie auroram, hic vero metaphorice auroram vitae i. e. juventutem valere censent.

XII, 5.: Hujus versus interpretatio syriaca magnopere discrepat a textu masoretico. Magnas explicandi praebet difficultates, quum et in hoc versu duplices versiones syriacae insint tum verborum וינאץ השקד quum verborum ותפר האביונה. Verba וינאץ השקד Syrus dupliciter ita reddidit ܘܢܦܪܥ ܥܠܘܗܝ ܫܗܪܐ — ܘܢܦܪܥ ܫܓܕܐ — „et propullulabit super eum vigilia — et pullulabit amygdalus“. — Voces ܘܢܦܪܥ ܥܠܘܗܝ ܫܗܪܐ Syri ipsius interpretationem proponunt, quum hac propriam vocis שָׁקֵד significationem, a radice שָׁקַד i. e. vigilavit derivandae, exprimere vellet. Credibile enim est, eum versioni, quam *οἱ* LXX de illis vocibus וינאץ השקד protulerunt, — „*καὶ ἀνθήσει τὸ ἀμύγδαλον* — hoc loco non satis fidei habuisse. Veruntamen etiam eorum versionem, sola eorum auctoritate adductus, apposuit et quidem verbo tenus: ܘܢܦܪܥ ܫܓܕܐ. — Nec minus dupliciter Syrus

interpretatus est verba: ותפר האביונה, ܘܬܬܒܕܪ ܦܠܦܠ — ܘܬܫܬܪܐ ܟܘܪܗܢܐ i. e. „et dissipatur capparis — et solvetur aegritudo“. — Prior illa interpretatio prorsus respondet versioni Alexandrinae: *καὶ διασκεδασθῇ ἡ κάππαρις* —, altera haec (ܘܬܫܬܪܐ ܟܘܪܗܢܐ) ex Symmachi interpretatione desumpta esse videtur: *καὶ διαλυθῇ ἡ ἐπίπονος*. — Verba ejusdem versus ויסתבל החגב Graecus Alexandrinus reddidit: *καὶ παχυνθῇ ἡ ἀκρίς*, quam versionem Syrus secutus interpretatus est: ܘܢܣܓܐ ܩܡܨܐ — „et crescet locusta“. Vertit Syrus vocem *παχυνθῇ* verbo ܢܣܓܐ, ita ut antecedens pro consequente poneret, quia quae pinguescunt et augentur graviora sunt.

XII, 6.: Peschittho vertit lectionem Keri ירתק ܢܬܦܣܩ — dum *οἱ* LXX lectionem Kethib ירחק — *ἀνατραπῇ* exprimunt. Verbum alterius hemistichii נרץ Syrus cum Graeco Alexandrino ad radicem רוץ, vi currendi, retulit, dum potius ad radicem רָצַץ sensu confringendi referendum est.

XII, 9.: אִזֵּן Syrus interpretatus est ܨܐܬ i. e. auscultavit, fortasse quia verbum אָזַן exstare existimavit. Similiter Aquila: *ἐνωτίσατο*.

XII, 10.: Prima versus verba: בקש קהלת LXX interpretes verterunt: *πολλὰ ἐξήτησεν ἐκκλησιαστής*, quos Syrus secutus est, vertens: ܣܓܝ ܒܥܐ ܩܘܗܠܬ. Vocem ܣܓܝ, quae in textu hebraico non reperitur, Syrus a LXX interpretibus mutuatus est. — Hi enim vocem הרבה, quae est ultima versus praecedentis noni, non in nono versu interpretati sunt, sed eam

ad hunc versum decimum, traxerunt. Syrus autem vocem הַרְבֵּה dupliciter vertit, et in nono et in decimo versu.

XII, 11.: בַּעֲלֵי אֲסֻפּוֹת, LXX: *οἱ παρὰ τῶν συνθεμάτων* sc. *ἐδόθησαν*, Syrus: ܡܳܪ̈ܰܝ ܐܶܣܩܽܘܦ̈ܳܬܳܐ — „domini liminum". — Syri interpretationem cum reliquis versionibus non consentire et a primario hebraeorum verborum sensu valde discrepare, manifestum est. Minus vero apparet, quomodo factum sit, ut Syrus vocem אֲסֻפּוֹת per ܐܶܣܩܽܘܦ̈ܳܬܳܐ redderet. Ex mea sententia nomen ܐܶܣܩܽܘܦ̈ܳܬܳܐ in ܐܶܣܽܘܦ̈ܳܬܳܐ i. e. congregationes emendandum est, quum vix poni possit, vocem אֲסֻפּוֹת cohaerere cum voce סַף i. e. limen.

XII, 13.: סוֹף דָּבָר הַכֹּל נִשְׁמָע: Syrus cum Graeco Alexandrino verbum נִשְׁמָע vi imperativa transtulit: ܫܡܰܥ, *ἄκουε*. — Caeterum Syrus hoc primum hemistichium, alia ac nos interpunctione distinxisse videtur, quum vertat: ܐܶܣܟܳܡܶܗ ܕܡܶܠܬܳܐ ܒܫܽܘܠܳܡܶܗ ܟܽܠ ܫܡܰܥ — „summa sermonis in ejus fine est: omnia audi"! — Ab hac Syri versione haud multum differt *τῶν* LXX interpretatio: *τέλος λόγου, τὸ πᾶν ἄκουε*. — Ultima versus verba: כִּי־זֶה כָּל־הָאָדָם Syro obscuriora fuere, neque eorum versio graeca *τῶν* LXX — *ὅτι τοῦτο πᾶς ὁ ἄνθρωπος* — ipsi aptum commodumque praebuit sensum. Itaque, ut ipsius interpretatio perspicua sit, ex versu undecimo verba: נִתְּנוּ מֵרֹעֶה אֶחָד hoc versu repetiit, vertens: ܗܳܢܰܘ ܕܗܽܘܝܽܘ ܕܡܶܢ ܐܽܘܡܳܢܳܐ ܚܰܕ ܐܶܬܺܝܗܶܒ ܠܟܽܠܢܳܫ — „hoc enim est (sc. אֶת־מִצְוֹתָיו שְׁמוֹר), quod ab eodem opifice da-

tum est cuilibet homini". — Sed haec hactenus. — Convertamus nos igitur ad perlustrandam versionem Peschitthonianam libri Ruth.

RUTH.

I, 1.: ושני בניו, Syrus tantum: ܘܒܢ̈ܘܗܝ. Ad finem versus Syrus interpres repetit verba: ܡܛܠ ܕܥܫܢ ܟܦܢܐ ܒܐܪܥܐ — „propterea quod gravis fuit annona in terra" —, quamvis jam in versus initio legerit: ܘܗܘܐ ܟܦܢܐ ܒܐܪܥܐ = ויהי רעב בארץ. — Arabi idem est additamentum.

I, 5.: Alterum versus hemistichium Syrus eodem verborum ordine quo Graecus Alexandrinus vertit: ܘܐܫܬܒܩܬ ܐܢܬܬܐ ܡܢ ܒܥܠܗ̇ ܘܡܢ ܬܪ̈ܝܗܘܢ ܒܢ̈ܝܗ̇ = *καὶ κατελείφθη ἡ γυνὴ ἀπὸ τοῦ ἀνδρὸς αὐτῆς καὶ ἀπὸ τῶν δύο υἱῶν αὐτῆς.* — Qui verborum ordo adversatur verborum ordini textus masoretici.

I, 6.: Verba textus hebraici duo Syrus contrahit in unum: ותקם ותשב: ܘܗܦܟܬ — „et reversa est". — Verbum ejusdem versus שמעה Syrus pluraliter vertit: ܫܡܥ̈ܝ — „audiverant" sc. Noomi, Ruth, Orpa.

I, 7.: מן־המקום אשר היתה־שמה, Syrus breviter: ܡܢ ܐܪܥܐ ܕܡܥܡܪܗܝܢ — „ex terra habitationis earum" —. Alterum hemistichium Syrus licentia quadam reddidit, eo quod verba hebraica בדרך לשוב expressit sola voce ܠܡܗܦܟ.

I, 8.: לְבֵית אִמָּהּ, Syrus plenius: ܠܐܬܪ̈ܟܘܢ ܘܠܒܝܬܐ ܕܐܡ̈ܗܬܟܘܢ — „in locum vestrum et domum parentum vestrorum“; verba עִם הַמֵּתִים וְעִמָּדִי Syrus uberius et alia verborum serie vertit: ܥܡܝ ܘܥܡ ܬܪ̈ܝܢ ܒܢ̈ܝ ܕܡܝܬܘ — „mecum et cum duobus filiis meis, qui mortui sunt“.

I, 9.: בֵּית אִישָׁהּ, Syrus: ܒܝܬ ܐܒ̈ܗܝܟܘܢ — „domus patrum vestrorum“. — Sequitur eum Arabs: عند آبائكما.

I, 10.: Similiter Syrus ultimam versus vocem לְעַמֵּךְ per verborum ambitum expressit: ܠܐܬܪ̈ܟܘܢ ܘܠܥܡܟܘܢ. Et hic Arabs plane se Syri versioni applicat.

I, 11.: Alterum versus hemistichium Syrus non ad verbum, sed tantummodo ad sensum liberiusque his verbis est interpretatus: ܝܠ̈ܕܐ ܬܘܒ ܢܗܘܘܢ ܠܝ ܒܟܪܣܐ ܘܬܣܒܘܢ ܠܗܘܢ.

I, 12: Vox הַלַּיְלָה neque a Syro neque a Graeco Alexandrino est versa. — Neque Arabi est.

I, 13.: Verba: כִּי־מַר־לִי מְאֹד מִכֶּם a Syro dupliciter sunt versa, itemque a Chaldaeo et Arabe. Prima Syri versio: ܡܛܠ ܕܡܪ ܠܝ ܛܒ ܡܢܟܘܢ prorsus consentit cum interpretatione τῶν LXX: ὅτι ἐπικράνθη μοι σφόδρα ὑπὲρ ὑμᾶς. Haec ex τῶν LXX versione desumpta est, dum altera Syri ipsius est: ܘܠܝ ܡܪܝܪܐ ܝܬܝܪ ܡܢܟܘܢ — „et mihi amarum est magis quam vobis“. — Cum hac versione ad verbum congruit Chaldaei altera versio: מְרִיר לִי יוֹתֵר מִנְּכוֹן. Haec versionis syriacae imitatio esse videtur. — Prioris illius interpretationis etiam in Midrasch Ruth ad h. l. fit mentio, ubi voces huius versus praecedentes: אַל בְּנֹתַי mutantur in: אַלְלַי בְּנֹתַי.

I, 14.: Supplet Syrus cum Graeco post vocem לחמותה verba, quae in textu masoretico non leguntur, ille: ܘܗܦܟܬ ܠܥܡܗ̇ sc. Orpa, hic: *καὶ ἐπέστρεψεν* (sc. Orpa) *εἰς τὸν λαὸν αὐτῆς*. Nec tamen est, quod cum Capello, Hubigantio, Dathio statuamus, hos interpretes in codicibus suis hebraicis, ut versu sequenti, legisse: ושבה אל־העמה. — Sua sponte tantum uterque verborum hebraicorum sensum imperfectum complevit.

I, 15.: Recte Syrus cum Graeco post ותאמר addit versus subjectum: ܢܘܥܡܝ sc. *Νωεμίν*. — Verba אל־אלהיה omnium veterum interpretum solus mirum in modum circumscribit verbis: ܠܒܝܬ ܐܒܗ̈ܝܗ̇ — „in domum parentum suorum“. — De „diis“ Orpae Syrus igitur tacet. Apparet enim, Syrum hac sua verborum אל־אלהיה versione, quae ab eo consulto facta est, id spectasse, ut obtegat atque dissimulet, Orpam ad paganismum et ad idolorum cultum rediise. Arabs et hic Syrum est secutus.

I, 16: אל־תפגעי־לי, Syrus: ܚܘܣ ܠܝ — „absit a me“.

I, 18.: Syrus cum Graeco post verbum ותרא subjectum adjecit: ܢܘܥܡܝ sc. *Νωεμίν*. — Primum versus hemistichium Syrus liberius est interpretatus.

I, 19.: Post בית־לחם Syrus legit ܕܝܗܘܕܐ. — Verbum תהם modo singulari reddidit ܚܕܬ — „laetata est“ sc. urbs. Num forte verbo *τῶν* LXX huc pertinenti *ἤχησε* sensum fremitus gaudio excitati inesse putavit? An tantum sensum verbi תהם exprimere

voluit, qualem ipse perceperit? — Quae sententia non repudianda videtur, si sententiarum nexum respexeris, qui inter hunc et sequentem versum intercedit. Certe enim Syrus versione sua ܫܒܝܚܬ ܒܩܘܡ ܟܠܗ ܡܫܒܚܬܐ Noomiam et Rutham laudibus ornaturus erat, quasi hae duae mulieres a Bethlehemitis honorificentissime magnoque cum gaudio essent exceptae. — Sed fugit interpretem syriacum, Rutham Bethlehemi incolis adhuc plane fuisse ignotam. — Arabs videlicet aeque ac Syrus vertit: فرحت.

I, 21.: Verba: ויהוה ענה בי — „et Deus testatus est in me“ — Syrus Graeco Alexandrino duce — „*καὶ κύριος ἐταπείνωσέ με*“ — vertit: ܡܪܝܐ ܡܟܟܢܝ — „Dominus me humiliavit“. — Dubium non est, quin Graecus pro עָנָה legerit formam Piel עִנָּה significatione opprimendi affligendique; cui sententiae Syrus accessit. — Verba versus ultima ושדי הרע־לי οἱ LXX reddiderunt: *καὶ ὁ ἱκανὸς ἐκάκωσέ με*, Syrus: ܘܡܢ ܕܚܝܠܐ ܒܐܝܕܘܗܝ ܐܝܬܝ ܒܝܫ ܠܝ — „et qui potens est manibus suis, malum intulit mihi“. — Quis non videat, Syrum verborum circuitu, quo vocem שַׁדַּי interpretatus est, quae interpretatio, ut ita dicam euphemistica est atque cum consilio facta, opinionem tollere et removere voluisse, quasi Deus (שַׁדַּי) hominibus mala inferat. Cfr. ad h. l. Perles, Melett. p. 18.

I, 22.: השבה משדי מואב, Syrus: ܕܨܒܝܐ ܠܡܗܦܟܘ ܥܡܗ ܒܠܒܐ ܫܠܡܐ — „voluit enim (sc. Rutha) reverti cum ea (sc. Noomia socru) cum corde integro“. — Syrus interpres hac circumlocutione id egit, ut Ru-

tham, quae erga Noomiam socrum suam plena erat amoris pietatisque, laudibus quam maximis efferret, ratione habita infidelitatis Orpae, quae ad „Deos“ (cfr. notam ad I, 15:) suos redierat.

II, 1.: Totum hunc versum ex textu a nostro masoretico diverso interpretatus est Syrus. Verba enim nostri textus גבור חיל a Syro plane sunt omissa, dum vox מודע ab eo dupliciter versa esse videtur per voces ܡܘܕܥܬܐ et ܚܝܠܐ.

II, 2.: Post נעמי Syrus addidit ܥܡܗ̇; verbaque ואלקטה בשבלים אחר אשר אמצא־חן בעיניו Syrus liberius ita vertit: ܘܐܠܩܘܛ ܫܒܠܐ ܒܬܪ ܦܥܠܐ ܕܐܫܟܚ ܪܚܡܐ ܒܥܝܢܘܗܝ. — Vocem igitur hebr. בשבלים Syrus praeteriit, quia eam jam inesse duxit in voce ܫܒܠܐ. Pro ea apposuit post אחר vocem ܦܥܠܐ, quasi legisset אַחֲרֵי הַפֹּעֲלִים, aut quasi animo ejus verba sequentis versus אחרי הקצרים obversata essent. — Caeterum Syrus hoc capite vocem קצרים saepius vertit: ܦܥܠܐ (cfr. vv. 4. 5. 7.).

II, 3.: Verba duo ותלך ותבוא Syrus contraxit in solum ܘܐܙܠ.

II, 4.: Formulam salutandi ac bene precandi: יהוה עמכם Syrus per euphemismum expressit: ܫܠܡܐ ܥܡܟܘܢ — „pax vobiscum“!

II, 5.: Ultima versus verba: למי הנערה הזאת Syrus plenius vertit: ܡܢܘ ܬܘܕܥܬܗ̇ ܕܥܠܝܡܬܐ ܗܕܐ — „quae fama huius puellae?“ — Quae interrogatio idem fere denotat atque Chaldaei versio: לְאידן אומא ריבא הדא: „Cui nationi est haec puella?“ — Peregrinam eam

esse, ex ejus habitu ac vestitu Boas colligit. — LXX interpretes simpliciter: *τίνος ἡ νεᾶνις αὕτη;*

II, 6.: Verba textus hebraica הנצב על־הקוצרים Syrus omittit et verbum השבה apte transfert: ܗܝ ܕܐܬܬ — „quae venit“.

II, 7.: Omnes veteres interpretes praeter solum Chaldaeum in hoc versu explicando erraverunt. Praecipue interpretatio verborum זה שבתה הבית מעט iis magna fuit difficultate. — Syrus totum versum breviter, omissis verbis ואספתי בעמרים, deinde verbis: ותבוא תעמוד, pro quibus תְּלַקֵּט legit, tum verbis: ועד־עתה זה, denique הבית מעט, ita vertit: ܘܐܡܪܬ ܐܠܩܘܛ ܫܒܠܐ ܒܬܪ ܚܨܘ̈ܕܐ · ܘܠܩܛܬ ܡܢ ܨܦܪܐ ܘܥܕܡܐ ܠܢܘܚܐ — „et locuta est: faciam spicilegium post operarios; collegitque inde a tempore matutino usque ad quietem“. — Retulit igitur Syrus vocem שבתה ad radicem שָׁבַת significatione quiescendi, veluti *οἱ* LXX, qui verterunt: *οὐ κατέπαυσεν ἐν τῷ ἀγρῷ μικρόν*, dum Hieronymus, qui vertit: „et ne ad momentum quidem domum est reversa“ —, formam שבתה a radice שוב derivat. Sed praestat, שבתה cum Chaldaeo referre ad radicem יָשַׁב, ita ut forma שבתה Infinitivus verbi יָשַׁב cum suffixo sit. — Versio hujus versus arabica imago tantum est repercussa interpretationis syriacae.

II, 8.: Syrus interrogationem, qua Boas modo blando Ruthae concedit, ut in agro ipsius haec spicas colligat, aliter ac nos intellexit igiturque aliter vertit: ܘܐܡܪ ܒܥܙ ܠܪܥܘܬ · ܒܪܬܝ ܠܐ ܡܫܟܚܐ ܠܟܝ ܠܡܠܩܛܘ ܕܚܩܠܐ ·

ܠܐ ܕܝܢ ܠܐ ܐܫܬܡܥܬܝ · ܡܬܠܐ ܗܘ · ܘܩܘܡܝ ܠܟܝ ܗܪܟܐ ܥܡ ܥܠܝ̈ܡܬܝ:
„Nonne auditum est tibi in proverbio: In agro, qui tibi non est, ne spicas colligas? — Propterea mane et sis hic cum ancillis meis." — Voces textus hebraici: וגם לא תעבורי מזה Syrus breviter duabus tantum vocibus ܡܬܠܐ ܗܘ expressit, dum voces ܒܚܩܠܐ addidit. In agro alieno spicas colligendas non esse, Syro igitur est proverbium (ܡܬܠܐ). — Ex hac Syri interpretatione Boas vult, Rutha Boasi agrum non alienum, sed quasi suum habeat. — Arabs eodem prorsus modo ac Syrus versum reddidit.

II, 9.: Verba עיניך בשדה אשר־יקצרון et totum hemistichium alterum Syrus liberius vertit. In hoc voces hebraicas אל־הכלים omisit, apposuit vero post: ושתית vocem ܡܝ̈ܐ, ita ut sensum tantum universum proferret. — Verba versionis syriacae ultima ܘܐܫܬܝܢ ܡܢ ܡܝ̈ܐ ܕܡܠܝܢ ܛܠܝ̈ܐ haud valde disparia sunt versioni chaldaicae: ותהי שתיא מויי די מלין עולמיא.

II, 12.: Votum hujus versus totum Syrus breviter his expressit verbis: ܢܦܪܥܝܟܝ ܡܪܝܐ ܐܠܗܗ ܕܐܝܣܪܝܠ ܘܢܬܠ ܠܟܝ ܐܓܪܟܝ. ܗܘ ܕܐܬܝܬܝ ܠܡܬܟܣܝܘ ܬܚܝܬ ܟܢܦܘܗܝ — „et retribuat tibi Dominus Deus Israelis et det tibi mercedem tuam, ad quem venisti, ut occultes te sub alis ejus".

II, 13.: Verba וכי דברת על־לב שפחתך ואנכי לא אהיה כאחת שפחתך Syrus licentius sic reddidit: ܘܡܠܝܬ ܠܒܗ ܕܐܡܬܟܝ ܘܐܢܐ ܐܗܘܐ ܐܦ ܐܝܟ ܚܕܐ ܡܢ ܐܡ̈ܗܬܟܝ — „et implevisti cor ancillae tuae et ego ero quoque sicut una ex ancillis tuis". — Negationem לא textus hebr.

Syrus non vertit, neque apud Graecum, neque Chaldaeum nec in Midrasch Ruth ad h. l. legitur. — Patet, Syrum aliosque hos interpretes alterius versus hemistichii sensum non recte percepisse. Ex eorum enim sententia Ruthae verbis modo antea prolatis: — „et quia locutus es ad cor ancillae tuae“ — repugnare videntur Ruthae verba sequentia: ואנכי לא אהיה כאחת שפחתך — „et ego non ero sicut una ex ancillis tuis“. — Non viderunt hi interpretes, Rutham sibi proposuisse, ut Boaso diceret: „Tu, o Boas, tam benigne blandeque me, ancillam tuam, compellasti, quamvis non digna sim, quae habear una ex ancillis tuis.

II, 14.: Magnopere Syri versio discrepat a textu masoretico. Vertit enim Syrus: ܘܐܡܪ: ܠܗ ܒܥܙ ܒܥܕܢܐ ܕܫܪܘܬܐ. ܩܪܘܒ ܐܟܘܠ ܡܢ ܠܚܡܐ. ܘܐܘܬܒܗ ܥܠ ܓܢܒ ܚܨܘܕܐ ܘܝܗܒ ܠܗ ܩܠܝܬܐ. ܘܨܒܥ ܠܚܡܐ ܒܚܠܒܐ ܘܐܪܡܝ ܦܬܐ ܕܦܬܝܬܐ ܘܝܗܒ ܠܗ. „Et dixit ei Boas tempore prandii: appropinqua et comede de pane. Et eam sedere fecit ad latus messorum et dedit ei polentam, et intinxit panem in lacte et injecit fragmenta spicarum tostarum et dedit ipsi“ etc. — Primum ex Syri interpretatione subjectum totius versus Boas solus est, tum vox הלם a Syro est omissa, deinde verborum ויצבט לה קלי versio syriaca: ܘܝܗܒ ܠܗ ܩܠܝܬܐ — prorsus fere respondet versioni τῶν LXX: *καὶ ἐβούνισεν αὐτῇ ἄλφιτον*, denique verbum חמץ modo miro per ܚܠܒܐ est versum, nisi forte pro ܚܠܒܐ recte ܚܠܐ = חמץ legendum est.

II, 16.: Totus hic versus a Syro est omissus, aut quia recensionem textus hebraici a nostro textu diversam est secutus, aut quia hic versus repetitio tantum sensus versus praecedentis Syro esse videbatur. Et certe quidem, quae in quinto decimo dicta sunt, hoc versu iterum, aliis tantum verbis, proferuntur. — Apud omnes caeteros interpretes hic versus legitur, praeter solum Arabem, qui et hic Syrum auxie sequebatur.

II, 17.: Finem versus Syrus ad sensum potius, quam ad verbum reddidit.

II, 18.: Pro וַתֵּרֶא חמותה Syrus legit: וַתַּרְא, intrerpretans: ܘܚܘܝܬ ܠܚܡܬܗ̇ „et ostendit socrui suae“. — De altero versus hemistichio valet id quod ad II, 17. annotavimus.

II, 19.: Vocem מכירךְ Syrus pluribus vocibus circumscribit et benedictionem Noomiae etiam in locum extendit, ubi Rutha spicas collegerat. Vertit enim verba Noomiae interrogantia: ܘܐܬܪܐ ܕܗܘܝܬܝ ܢܗܘܐ ܒܪܝܟ — „et locus, ubi fuisti, benedictus sit“. — De altero hemistichio cfr. annotationem II, 17.

II, 20.: Verba ברוךְ הוא ליהוה hunc in modum interpretatus est: ܒܪܝܟ ܗܘ ܡܪܝܐ — „benedictus sit Dominus“. — Omisit igitur Syrus vocem praefixam ל ante יהוה, ita ut non Boas, sed Deus fieret subjectum. Verba versus ultima מגאלנו הוא Syrus vertit ܡܢ ܬܒ̈ܥܝ ܚܘܒܢ ܗܘ — „ex vindicibus vindictae nostrae hic est“. Hoc versu et IV, 1. vox גֹּאֵל a Syro translata est ܬܒܥ ܚܘܒܐ, dum locis III, 9. 12. IV, 3. versa

est ܐܚܐ ܩܪܝܒܐ, locis IV, 6. 8. 14. sola voce ܐܚܝܢܐ. — Locis vero Levit. XXV, 25. 26. XXVII, 19. 20. Numer. V, 8. גֹּאֵל expressum est voce ܡܦܪܩܢܐ et verbo ܦܪܩ, denique Job. XIX, 25. nomine ܦܪܘܩܐ.

II, 21.: Vocem המואביה Syrus omittit, vertens: ܘܐܡܪܬ ܪܥܘܬ ܠܚܡܬܗ — „et dixit Ruth socrui suae", — quasi pro המואביה legisset לחמותה. — Verisimilius vero est, Syrum cum consilio המואביה non interpretatum esse, ut memoriam originis gentilis Ruthae opprimeret. Cfr. quae hac de re jam monuimus I, 15. 19. 22. De altero versus hemistichio vide notam II, 17.

II, 22.: Cfr. annotationem II, 17.

II, 23.: Verba ותשב את־חמותה Syrus cum Graeco et Hieronymo ad proximi capitis initium retulit, dum solus omnium veterum interpretum verba versus praecendentia ultimam partem orationis adhortantis Noomiae accipit, vertens: ܐܠܐ ܢܩܦܝ ܠܐܡܗܬܗ ܕܒܥܙ — „immo adhaereas ancillis Boasi" etc. — Non est, quod hanc Syri sententiam plane aspernemur, quum ex ejus interpretatione illa verba bene verba Noomiae ipsius esse possint.

III, 2. 3.: Cfr. notam II, 17.

III, 4.: Verbum גלית Syrus non expressit, aut quia propriam ejus significationem non novit, aut quia veritus est, ne ei sensus esset, quo Ruthae pudicitia in suspicionem adduceretur.

III, 7.: Verba בקצה הערמה Syrus transtulit ܒܓܒܗ ܕܐܕܪܐ — „in latere areae", — et post verba

apposuit: ܘܒܫܢܬܐ ܒܣܝܡܬܐ ܟܕ ܕܡܟ ܒܐܕܪܐ — „et in suavi somno, quum dormiret (Boas) in area“, venit Ruth etc.

III, 8.: וילפת, Syrus: ܘܬܘܗ — „et obstupuit“, — LXX: *καὶ ἐταράχθη*.

III, 9.: Cfr. annotationem ad II, 17.

III, 11.: כל-שער עמי, Syrus: ܟܠܗ ܫܪܒܬܐ ܕܥܡܢ — „omnis tribus populi nostri“ — = LXX: *πᾶσα φυλὴ λαοῦ μου*. — Syrus vero diserte interpretatus est ܥܡܢ, non ܥܡܟ, ut exprimeret, Boasi populum etiam Ruthae esse populum. Cfr. quae de hac Syri interpretatione commemoravimus I, 15. 19. 22. II, 21. IV, 3.

III, 13.: Cfr. notam II, 17.

III, 14.: Post ותקם Syrus adjecit ܒܨܦܪܐ ܟܕ ܥܡܛܐ — „diluculo, quum adhuc esset tenebricosum“. — Alterius hemistichii verba Syrus non Boasi, sed Ruthae verba vertit: ܘܐܡܪܬ ܠܗ. ܕܠܐ ܐܢܫ ܢܕܥ ܕܢܚܬܬ ܠܘܬܟ ܠܐܕܪܐ — „et dixit (sc. Rutha) ei —: ne quis sciat, me ad te descendisse in aream“. — Legit igitur Syrus וַתֹּאמֶר et בָּאתִי.

III, 15.: Priorem versus partem Syrus liberius reddidit. Ultima verba ויבא העיר Syrus vertit: ܘܫܩܠܬ ܘܐܬܬ ܠܡܕܝܢܬܐ — „et portavit et venit in urbem“ sc. Ruth. Pro ויבא Syrus igitur legit ותבא, id quod etiam Hieronymus expressit: „quae portans ingressa est civitatem“.

III, 16.: Post Noomiae interrogationem מי-את בתי Syrus addidit responsum Ruthae, quod in textu

hebraico nostro non exstat: ܐܢܐ ܐܢܐ ܪܥܘܬ — „ego sum Ruth“. — De reliqua versus parte valet, quod ad II, 17. annotavimus.

III, 18.: Phrasin איך יפל דבר Syrus plane omisit.

IV, 1.: Non tam verba, quam sensum hujus versus Syrus expressit.

IV, 3.: False Syrus post verbum מכרה adjecit לִי, neque ultima versus verba השבה משדה מואב interpretatus est, ut peregrinationis moabiticae memoria oblitteraretur: cfr. I, 15. 19. 22. III, 11.

IV, 4.: Versus sententiam pluribus vocibus et per verborum ambitum Syrus profert.

IV, 5.: Syrus lectionem Keri קָנִית modo imperativo per ܩܢܝ i. e. posside expressit.

IV, 6.: Verba את־גאלתי Syrus neglexit; pro iis ad rationem Midraschi, ut causam afferret, qua Boasi cognatus commotus Rutham repudiaret, apposuit: ܡܛܠ ܚܘܣܪܢܐ ܕܗܝܡܢܘܬܝ ܕܐܝܬ ܠܝ — „propter defectum fidei meae, quae mihi est“, — Chaldaeus: „quia jam est mihi uxor . . . et fortasse erit mihi rixae domus meae“ sc. Ruth.

IV, 7.: Priora versus verba hebraica Syrus ita est interpretatus: ܘܗܕܐ ܠܚܕܐ. ܗܘܐ ܦܘܪܩܢܐ ܩܕܡ ܐܝܣܪܝܠ ܘܡܫܘܚܠܦܐ ܕܦܘܪܩܢܐ ܠܡܩܝܡܘ — „haec fuit vindicatio en! coram Israelitis ad mutationem vindicationis stabiliendam“: exuit vir calceum suum etc. — Non igitur loquitur Syrus de ritu calcei detrahendi, qui in omni genere emtionis seu venditionis, in omni denique abalienatione, quae publice coram Israelita-

rum senioribus fiebat, adhibebatur, sed ita interpretatus est, quasi hic ritus calcei exuendi in sola vindicatione (גאלה) adhibitus esset, ut hic, ubi Boasi cognatus ad Boasum vindicationis jus detulit. Aut non jam viguit hic ritus aetate Syri interpretis, aut Syrus ignoravit, hunc ritum in cujusvis generis abalienatione ab Israelitis ex lege constituta usurpatum esse. — False conjunxit vocem התמורה cum voce הגאלה, quam ob rem voces כל־דבר in versione sua omisit.

IV, 10.: וגם אֶת־רוּת, Syrus: ܘܠܟܝ ܪܥܘܬ .. „et te, Ruth“, ... ܢܣܒܬܟܝ ܠܝ ܐܢܬܬܐ — „te mihi sumpsi uxorem“. — Legit igitur Syrus: וגם אַתְּ רוּת. De reliqua versus parte cfr. notam II, 17.

IV, 11.: Syrus verba ועשׂה חיל באפרתה vertens ܘܥܒܕܝ ܚܝܠܐ ܒܐܦܪܬܐ — „et fac facultates i. e. opes in Ephrata“, pergit ܘܩܪܝ ܫܡܗ ܒܝܬܠܚܡ — „et nominaverunt illae nomen ejus (sc. Ephratae) Bethlehem“. — Syrum, quid mira verba hebraica וקרא־שׁם בבית לחם valeant, non vidisse patet. Ideo legit קָרְאוּ et pro שֵׁם בְּ sine dubio legit שְׁמוֹ, ita ut verbum illud plurale ad Rachelam et Leam, hoc שְׁמוֹ autem ad Ephratam referendum esset, id quod non sine veritatis est specie. — Eo accedit, quod etiam nexus sententiarum huic conjecturae congruit. — Seniores enim populi, postquam optarunt, ut Ruth, Boasi uxor, Rachelae et Leae, Israelitarum matrum instar fieret, atque ut Boas ipse sibi opes (ܚܝܠܐ) pararet, ad hoc votum etiam addunt, jam ab Rachela et

Lea Ephratam nominatam esse בֵּית לֶחֶם i. e. domum panis. — Hujusmodi certe Syri fuerunt conclusiones.

IV, 12.: De altero hemistichio cfr. annotationem II, 17.

IV, 14.: Verba ויקרא שמו בישראל Syrus vertit: ܘܬܬܩܪܐ ܫܡܗ ܒܐܝܣܪܝܠ.

IV, 15.: ולכלכל את־שיבתך — „ad sustentandam canitiem tuam“, Syrus: ܘܡܣܝܒܪܢܐ ܠܡܕܝܢܬܟ — „et (erit) sustentator urbis tuae“. — Mirabilis haec Syri interpretatio necessarie demonstrat, ipsum hoc in loco Graeci Alexandrini versione usum esse. Recte enim hic vocem שיבתך reddidit *τὴν πολιάν σου*, Syrus vero hanc vocem non intellexit, legens *τὴν πόλιν σου*, quod verbum expressit per: ܡܕܝܢܬܟ. — Quod sequitur hemistichium non tam ad verbum quam ad sensum a Syro est versum.

IV, 16.: Phrasis ותשתהו בחיקה deest apud Syrum, similiter ac in versu sequenti voces לו et שם לאמר in ejus versione desiderantur.

Sed haec hactenus.

Perlustrata libri Koheleth versione Peschitthoniana, eam generaliter quidem textum masoreticum prope sequi vidimus: quamquam nihilominus exempla supra allata argumentis nihil dubii relinquentibus satis docent, versionem *τῶν* LXX magnam vim in versionem syriacam exercuisse, id quod probant loci Koh. I, 17. II, 8. 12. 16. 25. III, 15. 18. V, 5. 12. 14. 16. VII, 3. 17. 21. VIII, 1. 2—3. IX, 1. 2. 4. X, 1. 3. 4. 10. 19. XI, 10. XII, 5. 10. 13. — In singulis versibus occurrunt nonnunquam versiones duplices syriacae, quarum altera fere semper versioni *τῶν* LXX respondet, veluti II, 12. V, 16. X, 19. XII, 5., dum altera a Syro interprete addita est, ubi versioni *τῶν* LXX non satis fidei habuisse videtur, veluti IX, 2. X, 10. XII, 5. 10. — Aliis locis Syrus aliter ac nos legit, cfr. II, 2. III, 6. 19. V, 16. VIII, 4., aut aliter ac nos voces explicavit, exempli gratia II, 3. III, 6. 18. X, 9. 10.

Nectamen textus hebraicus, quem Syrus in vertendo libro Koheleth est secutus, valde a textu Masoretarum est diversus, et quamvis *τῶν* LXX auctoriatas in libro Koheleth syriaco summa sit iisque maxime locis, qui interpretatu explanatuque difficiles sunt, tamen Syrus maximam partem sermonis

sui proprietati indulsit, quin etiam singulas libri partes eleganter nec minus fideliter vertit, veluti caput quartum et sextum.

Praeter paucos illos locos IX, 3. XII, 9. — et IX, 3. XI, 9. XII, 5., qui demonstrare videntur, interpretem syriacum Ecclesiastae etiam Aquilae et Symmachi versione usum esse, nihil in tota hujus libri versione Peschitthoniana inest, quod indicet, Syro chaldaicam quoque paraphrasin, cui Targum est nomen, cognitam fuisse. — Neque — quoad nos cognovimus — in libri Koheleth versione syriaca quidquam traditionis Rabbinorum inest.

Quodsi jam versionem syriacum libri Koheleth cum versione libri Ruth comparamus; quantum inter utramque intercedit discrimen! Interpres libri Ruth multo aliter tractat textum hebraicum, quam interpres libri Koheleth. Textus hebraicus, secundum quem versio libri Ruth Peschitthoniana facta est, pluribus locis haud parum discrepare videtur a textu, quem nos habemus. In interpretatione enim syriaca libri Ruth permulta insunt additamenta, quae ab ejus auctore syriaco originem ducunt; praeterea autem versio libri Ruth multo liberius, ne dicam, licentius est confecta quam libri Koheleth, ita ut aliquid habeat paraphraseos; cfr. Ruth I, 1. 7. 8. 11. 16. 18. 22. II, 1. 2. 4. 7. 8. 9. 12. 13. 14. 16. etcc. — Quam ob rem a viro doctissimo J. Perles versio paraphrastica est appellata (Melett. p. 14). — Altera deinde inter versionem librorum Koheleth et Ruth

intercedens differentia haec est, quod in illa occurrit particula accusativi ܝܬ (אֶת־) et quidem novies[c]) (Koh. II, 3. III, 11. 17. IV, 1. VIII, 9. 15. 17. IX, 1 bis), dum in hac ne semel quidem legitur. — Quae duo discrimina satis firmant, interpretem syriacum libri Koheleth alium esse, quam interpretem libri Ruth, atque ita haud nimiae fuerit audaciae, dicere, versionem Peschittho Vet. Testamenti non ab uno eodemque interprete esse confectam, sed varios ejus libros a variis interpretibus esse versos, quae sententia etiam a viro doctissimo Perles (Melett. p. 8) est prolata, dum sententiae contrariae rejicendae sunt, veluti Aem. Roedigeri, qui in commentatione sua, „Peschito" inscripta, quae exstat in Erschii et Gruberi Encyclopaedia sect. III. part. 18. pag. 292 sq. totam versionem Peschittho uni eidemque ascribit auctori.

In ea sola re duae nostrae versiones concordant, quod utriusque auctor auctoritati τῶν LXX se subjecit, quamquam in versione libri Koheleth vis Graeci Alexandrini major est, quam in versione libri Ruth. Sed jam hac de re ad librum Kohel. confer locos supra a nobis allatos, ad librum Ruth. locos I, 5, 12. 13. 14. 18. 21. II, 14. III, 8. 11., praecipue IV, 15.

---

c) Emendanda igitur est sententia J. Perles, particulam ܝܬ octies tantum in tota syriaca Simplici legi (Melett. p. 26). Nam praeter illos locos ܝܬ exstat etiam Genes. I, 1. Cant. III, 5. VIII, 4.

Consensus vero illi exigui inter Syrum et Chaldaeum locis Ruth I, 13. II, 9. 13. aut fortuiti sunt, aut hic illum est secutus, quum pateat, paraphrasin chaldaicam librorum quinque illorum, qui Megilloth nominantur, serioris esse aetatis (cfr. De Wette, Einleitung in das Alte Test. edit. VI. § 62).

Jam difficilius sit, illam quaestionem, quae magni est momenti ad intelligendam Peschittho versionis indolem, accurate solvere, cuinam religioni addicti fuerint interpretes librorum Koheleth et Ruth. — Quod igitur versionem libri Koheleth attinet, in ea nulla insunt indicia, ex quibus colligi possit, utrum ejus auctor Christianus an Judaeus, an Judaeo-Christianus fuerit, dum fere dubium nullum est, quin interpres libri Ruth Judaeus fuerit, ratione habita omnium illorum locorum, in quibus, veluti Ruth I, 15. 19. 21. 22. III, 4. 11. IV, 3., interpres studet, primum ut dissimulet, Orpam ad paganismum rediisse, tum ut Rutham, quae relicta paganitate Israelitarum religioni prorsus se addixerat, summis efferat laudibus. — Reprobandi ideo ii sunt, qui totam versionem a Christiano confectam esse ponunt, veluti Kirsch, praefatio ad Pentateuch. syr. p. 6. J. D. Michaelis, Einltg. in d. göttl. Schr. des A. B. § 58. 59. sq. et: Abhdlg. von der syr. Spr. p. 59. L. Bertholdt, Histor.-krit. Einltg. in das A. u. N. T. p. 595 sq. Gesenius, Comment. zum Jesai. tom. I. p. 85 sq. Hirzel, De Pentateuch. vers. syr. indole p. 129 sqq. Aem. Roediger in commenta-

tione supra citata p. 292. J. Wichelhaus, De Nov. Test. vers. syr. Hal. 1850. p. 73. Haevernik, Einltg. in das A. T. I, 2. p. 94, quamvis hic (p. 93 l. c.) non infitietur, in versione Peschitthoniana documenta auctoritatis judaicae exstare. Dathe, Praefatio in psalter. syr. Hal. 1768. p. XXIII sqq. auctorem versionis Peschittho Vet. Testamenti Judaeo-Christianum fuisse disserit. Interpretem vero Judaeum fuisse Hug (Einltg. etc. § 66) conjectat, statuunt pro certo Rich. Simon (Histoire crit. du Vieux Test. p. 274), Geiger, (Urschrift und Uebersetzungen der Bibel p. 167), Perles, (Meletemata Peschitthoniana p. 8).

Quaerentes denique, quo tempore et versio Koheleth et versio libri Ruth facta sit, eo adducimur, ut statuamus, illam sub finem saeculi post Chr. natum secundi ortam esse, quum in ea signa adsint, quae probant, et Aquilae et Symmachi versiones, — cfr. Kohel. IX, 3. XII, 9. et IX, 3. XI, 9. XII, 5. — interpreti syriaco libri Koheleth jam notas fuisse; dum in versione libri Ruth haec signa desunt, ita ut de aetate, qua haec versio exstiterit, certi quidquam definiri non possit. — Sed jam finis sit commentationi nostrae.

Atque nos, quum de versionis Peschitthonianae indole disserere nobis proponeremus, non tanta fuimus arrogantia, ut nos aliquid perficere posse duceremus, quod omni laude esset dignum. — Id tantum spectavimus, ut symbolam levem ad indolem versionis syriacae Simplicis intelligendam da-

remus, bene scientes, hanc tantum tota Peschittho accurate perlustrata plane cognosci posse. — Si igitur sententiae supra dictae non ubique sint accipiendae vel laudandae, viros doctos meque peritiores commotum iri spero, ut exponant, quae ipsis videantur meque edoceant.

Typis B. G. Teubneri, Lipsiae.